

DISPUTATIO

De

# Jure Dotium.

Quam

Opitulante JEHOVA.

Permissu Magnifici & Amplissimi Fctorum  
Collegij in Incluta & celeberrima Lipsien-  
sium Academia.

PRÆSIDE

Amplissimo atq; Clarissimo Viro

Dn. VVILHELMO SCHMUCK,  
Phil. & U. J. D. Pandectarum Professore  
publico ejusdemq; Facultatis Assessore dignif-  
simo, Domino & præceptore suo  
summopere colendo.

Publico examini committit

HENRICUS MERTENS

Osterstadâ Bremensis.

In Fctorum Collegio die 25. Aprilis.

L I P S I Æ,

EX OFFICINA BAVARICA.

ANNO M. DC. XXIII.



C. 20. num. 3.

1623, 2

18

J. 401

7.



DISPUTATIO

DE

# Jure Docimae

Quam

Opinante JEHOVA

Thomae Magnifici & Amplissimi Professoris  
Collegii in Collegio S. Albertini Lipsiae  
Suae Academiae

PRÆSIDE

A. Thimo et Cl. Thimo Vro

Dr. WILHELMO SCHMIDTKE

Phil. & L. J. D. Pandectarum Professore

publico ordinis Facultatis Phil. Lipsiae

Thimo, Doctoris & Professoris

(Imprimatur)

Publice examinanda

HENRICUS MERTENS

Officiarius

In S. Albertini Collegio die 22. Aprilis

1721 A.

EX OFFICINA BAVARICA

ANNO M. DC. LXXII



# DE JURE DOTIUM.

## THESIS I.

**D**otis appellationem à græco δῶς (a) deducimus, cujus significationes extra præsentem materiam (b) & aliæ reperiuntur, (c)

(a) Sic apud Poëtas pro δόμα vel δόσις accipitur; latinis, datio, donatio. *Hesiod. in oper. Δῶς ἀγαθὴ, ἰάρπαιζ τε κακὴ, θανάτοιο δότηρα*, id est, Donatio bona, rapina verò mala, & mortem donans lethifera, vide *Varron. l. 4. de ling. lat. vid. Funger. in suo Etymol. in dictione dotis*. Dissentit *Isidorus*, qui dotem quasi do item dictam suo more ludit. (b) qua illud venit, quod uxor affert marito, & est nuptiarum accessorium, de qua mox. (c) In genere significat omne id, quod alicui datur, omne munus atq; donū, vel sit à natura vel ab hominibus, à natura sanè, ut dotes animi, ab homine, quo pertinent omnis generis dona. *Nicol. Perort. Sipont. in Comm. ad Martial. doct. Dos. fol. 37l.*

## THESIS II.

Dos est res (a) quam maritus accipit nomine uxoris (b) ad onera matrimonij sustinenda. (c)

(a) De hoc genere vehementer controvertunt Interpretes nostri, multiq; sunt in ea opinione, stare illud pro genere nequaquam posse. Unde fit, ut alia excogitent suo quidem arbitratu magis accommodata. Sunt enim primò, qui Dotem jus definiunt, in quorum numero videmus *Bartol. ad rubr. ff. solut. matrim. Phannuc. in suo tractatu de lucr. dot. in rubr. n. 7. ubi complures alios cumulat, & hos secutus est Valsejus lib. sing. suar. discept. cap. 19. & lib. 1. Jurispr. Rom. c. 20.*

A 2

B. 3.

¶ 3. Non placent: Vagantur enim dum ita statuunt, extra juris  
Romani aleas, nec textum afferre possunt ullum, qui hoc prober;  
Textus enim in *l. dotis 7. in pr. & §. si usu fr. 2. in fin. in l. 1. in pr. l. quod  
dicitur 5. in pr. ff. de impen. in res dot. l. pro oneribus 20. C. de jure dotium.*  
longe ostendunt aliud, quod in ipso disputationis actu facili nego-  
tio sumus monstraturi. Nec quicquam habet roboris argumen-  
tum ductum à simili, quasi maritus idem juris habeat in re dotali,  
quod creditor in re sibi pignorata. Hoc enim unde probetur,  
nondum vidimus: hoc n. reluctatur naturæ pignoris, cum maritus  
fit dominus dotis, rei ipsius dotalis non juris in re constituti, quam-  
diu constat matrimonium, *in princ. instit. quib. alien. loc. l. in rebus 30. C.  
de jur. dotium.* Creditor verò juris tantum in re pignorata tantum  
Dominus, non ipsius rei, *d. princ. instit. & t. 4 ff. & C. de pignor. act.* sunt  
qui dotem ad donationem referunt secundum antiqui juris con-  
ditores, *l. fin. vers. ideo enim C. de donat. ant. nupt.* sed quia nec inter vi-  
vos nec mortis causa donationibus ullatenus responderet, non illis,  
quia soluto matrimonio dos repetitur, *t. 1. ff. sol. matr.* non his, quia  
nihil magis à causa dotis, quæ matrimonium est, abesse debet,  
quam mortis contemplatio, cum in dividuam vitæ consuetudi-  
nem contineat, *§ nuptia 1. instit. de patr. potest. l. 1. ff. de rit. nupt.* Sunt & qui  
jus universale dotem definiunt, quam opinionem tueretur *Jason ad  
rubr. ff. sol. matr. n. 28. Wesenb. in paratit. C. de inoff. donat.* quos (mirum)  
sequitur *Giphan. in suo comment. de jure dot. nondum typis excuso c. 2. in  
append. & c. 5.* Sed quia removimus genus jus nimirum, removen-  
tur simul & omnes ejus species sive sint universalia jura sive spe-  
cialia *l. in vet. 113. l. semper 147. ff. de Reg. 7.* Sed numquid universi-  
tas fortè? Differunt sanè à se invicem hæc duo jus universale &  
universitas, ut in ipsa disputatione monstrabimus: Veruntamen  
cum dotis datio non semper in universitate rerum consistat, sed  
in una etiam singulari, *t. 1. ff. de fund. dot. inq; certæ pecuniæ summa  
l. profectitia 5. §. si quibus 9 ff. de jur. dot.* Hoc genus omni doti aptari  
nequit. Universitas igitur pro vero genere malè vendicatur:  
Dissentit *Ant. Guib. Cost. in tract. de dot. c. 2.* Qui deniq; conventio-  
nem dotem faciunt, illi confundunt constitutionem dotis, quam  
conventionem minimè negamus à dote constituta; perperam;  
sicut ipsum feudum à constituendo feudo, usumfructum ab ejus  
consti-

constitutione. Dos igitur res est *l. dotis 7. §. si res cum l. seq. l. si ego §. si res 1. §. ceterum 3. & t. i. ff. de jure dot.* (b) Sive ea veniat ab ipsa uxore sive à quocunq; alio perinde est, ut *mox in th. 3: dicetur.* (c) Ut enim dos propter nuptias fit & sinè nuptiis nulla dos intelligitur, *l. fin. in princ. vers. quare enim & c. C. de donat. ant. nupt. l. dotis appellatio. 3. ff. de jur. dot.* ita ea nullam aliam ob causam accedit matrimonio quam ut sublevet maritum in oneribus matrimonij, *l. si pater. 76. in fin. ff. de jur. dot.* Finis igitur dotis est, ut serviat matrimonio, *d. l. 76.*

### T H E S I S III.

Dotem dant vel pater (a,) sponsæ & qui sunt in linea patris ascendente (b,) vel qui sunt in collateraliali (c,) vel qui prorsus sunt extranei (d,) vel deniq; ipsa sponsa sive uxor de proprio suo patrimonio (e.)

(a) *l. profectitia 5. cum §. 1. & seq. ff. de jur. dot.* sed an pater cogi possit ad dotandam filiam *Connano non videtur lib. 8. comment. c. 8. affirmativa tamen tunc defenditur ex l. capite 19. ff. de rit. nupt. ubi ex Divorum Severi & Antonini Constitutione, utrumq; conjungitur, ut nimirum per proconsules patres nolentes cogi possint filias suas & in matrimonium locare & dotare. l. cognovimus 19. §. sed ne videant. 1. C. de heret. & Manoch l. ult. C. de prom. dot. vers. neq; enim.* Unde si filius mutuam pecuniam accipiens eam pro dote sororis dat, pater actione de in rem verso tenetur, *l. filius 17. ff. ad SC. Maced.* Semper tamen præsumendus est pater facultatibus præditus, nam. si ipse eger, excludit inopia Constitutionem Imperatorum *l. fin. vers. ubi autem in verb. tunc siquidem. C. de dot. promiss. & excusatus satis est arg. l. nemo plur. 54 ff. de R. 7.* Et hinc Jcti respondent, ut pro modo facultatum dotes, constituantur *l. quero. 60. ff. de jur. dot. d. l. cognovimus. d. §. 1.* Hoc etiam necessitas efficit, ut in dubio parens, ut parens, non ut extraneus dedisse censeatur, nec de facultatibus filia sed proprijs sumfisse, *l. fin. C. de dot. promiss.* Ex quo textu alia jam patet decisio ad quaestionem, utrum pater locupletem filiam dotare cogatur; affirmativa enim inde liquido liquet, quicquid placeat. *Bart. lib. 8.*

*p̄arerg. 3. Connan. d. cap. 8. l. 8. Sed quid de emancipata filia dicen-  
dum? Constitutio Divorum Imperatorum non distingvit, in d. l.  
cap. 19. ecquid igitur nos distingvamus? præsertim cum non jus  
potestatis sed parentis nomen dotem profectitiam, id est, eam, quæ  
à parente proficiscitur, faciat, d. l. profectitia. §. §. si pater. modò ut pa-  
rens dotem dederit. d. l. §. §. ii. Nec quicquam contra hanc senten-  
tiam facit textus in l. si res. §. ff. de jur. dot. quia ibi habetur exceptio à  
regula, cum pater ex voluntate filix quod ipsi ante in emancipa-  
tionem donaverat, det illud postea in dotem, jam volenti & con-  
sentienti nulla fit injuria l. i. §. usq; adeo. §. ff. de injur. & quilibet juri  
pro se introducto liberè potest renunciare. l. pen. C. de pact. l. §. i. C. de  
Episc. & Cler. Porrò dote caret non immeritò, quæ inscio patre an-  
te annum 25. nubit marito, nec distingvo, digno vel indigno nup-  
serit. Ratio extat viva & vegeta in §. penult. inst. de nupt. junct. princ.  
inst. eod. Excludimus & naturalem filiam arg. l. si quis liberis. 15. §. idem  
rescriptis. 6. ff. de agnosc. & alend. lib. nam nec alere tenetur, ergò multò  
minus dotem dare, cum plus sit alere, quàm dotare & magis neces-  
sarium. l. necare 4. ff. eod. junct. l. non debet 21 ff. de R. 7. Imprimis autem  
ita se res habet, si pater legitimè natos habeat liberos. Nam si cœ-  
lebs sit, cum ab intestato liberis naturalibus & matri eorum relin-  
quendæ sint duæ uncix sive sextans auth. licet C. de naturalibus  
lib. hoc casu cum legitima illis debeatur, tentabimus deberi eis-  
dem & dotem, puta quæ respondeat huic legitimæ arg. l. quoniam.  
29. C. de inoff. testam. Exclusissima autem est spuria, hæc enim, quia  
patrem nullum monstrare potest d. §. pen. Inst. de nupt. nullus etiam  
erit, qui dare velit vid. Geil. 2. obs. 88 (b) l. un. §. accedit 13 vers. Extraneū  
C. de rei uxor. act. l. avus 33. ff. de pact. l. avus. 79. in fin. princ. ff. de jure dot.  
l. dotem. 1. ff. de collat. Et hujusmodi dos, quam pater sponsæ vel avus  
vel proavus ejus dat, vocatur profectitia. Ulpian. in frag. tit. 6. §. 1.  
quam enim mater sive avus maternus vel quilibet alij dant; pro-  
fectitia non est sed adventitia. Ulp. d. l. profectitia cum §. 1. & seqq. ff. de  
jure dot. Ut autem profectitia dos dicatur esse, duo concurrant o-  
porteret alterum, quod jam protulimus, scilicet eam à patre uxoris  
vel avo ejus profectam esse debere. d. d. B. alterum, ut ea intentio-  
ne hæ personæ filiam vel neprem suam dotent, ut sit dos profecti-  
tia. Nam si pater dotet quidem filiam; non ut parens, sed ex alia  
causa,*

causa, puta, quia debebat filiae; dos hæc non est profectitia, sed magis adventitia. *d. l. profectitia. §. si pater. ff. de jure dot.* Sicut igitur peculum profectitium illud vocatur, quod ex bonis parentis proficiscitur, §. igitur liberi. 1. vers. sancitum cum vers. seq. instit. per quas person. nob. ita dos est ea profectitia, quam pater de suis bonis, constituit, *d. l. profectitia §. in princ.*

(c) Multò magis hæ personæ adventitiam personam faciunt, cum sint matre & avo materno remotiores. §. 1. & 2. Instit. de grad. cognat. §. ergò non omnes. 1. Instit. de nupt. Nullam autem in se necessitatem habet hæc dotis species, cum sit instar donationis cujus nulla est coactio. Petrus Gregor. in suo syntag. lib. 9. c. 18. n. 6. Et hæc est regula, quæ perdit officium tum, cum v. g. mater est dives & pater inopia laborat, vid. *l. neq. mater 14. C. de jure dot.*, ut rectè sentiunt ibi Bart. Bald. & alij. 2. Si fortè mater sit hæretica & filia dotis indigens Christianam fidem profiteatur, arg. *l. cognovimus 14. C. de hæret.* 3. sic frater sororem inopem dotare tenetur ipse dives opum. Ita enim accipiunt, *l. cum plures 12. §. cum tutor. 3. ff. de admin. tut. Accurs. ibid. & Cujac. in Comm. post. ad Paul. Duar. de jure dotium c. 3. Petr. Greg. d. loco.* Matrem autem an filius dotare teneatur, nequaquam expeditum est; in puncto juris sine dubio verior est negantium sententia *l. tutor §. fin. ff. de administ. tut.* Nam si filius ad munus nuptiale matri offerendum non obligatus est, multo minus ad dotem dandam illum adstringet necessitas. At antecedens est verum, per *d. l. 13. §. sine E. & Consequens.* Nec obstat *auth. si pater C. de divort.* Loquitur enim de alimentis; quæ majorem habet necessitatem ipsa dote, *d. l. 13. §. fin.* & argumentum ab alimentis ad dotem paulo ante à nobis rejectum est, *vid. & Angel. ad l. 1. ff. sol. matrim. & Camp. de dot. p. 1. quest. 21.*

(d) Ulpian in *fragm. d. tit. 6. §. 1.* Res enim est meræ facultatis, sicut quamvis aliam liberalitatis speciem exercere *l. 1. ff. de donat.*

(e) *l. fin. C. de dot. promiss. l. si res §. 1. ff. de jure dotium.* Eadem est ratio si tutores vel curatores nubentium puellarum dotem decernant, dummodo illud fiat pro ratione facultatum, & dignitate natalium *l. cum post 69. §. nuptiis §. ff. de jure dot.* Quod si tutor vel curator sibi solus non vult sumere; tutò rem gerit, si adeat Magistratum, qui suam autoritatem interponat, *l. si curatores. 9. C. de admin. tut.*

*l. tam*

*l. tam dementis 28. C. de Episc. audient. Cum enim dotis datio sit modus transferendi dominiij. §. per traditionem 41. in fin. Inst. de rer. divis. l. in rebus 30. C. de jur. dot. l. dotale. 13. §. dotale prædium. 2. ff. de fund. dot. absq; præscitu & decreto Magistratus minimè erat ferenda, & imprimis si consistat in corporibus, non in quantitate t. t. C. de præd. minor. §. l. 22. C. eod. De jure verò Saxonico hac circumspèctione non magnopere opus esse videtur, cum uxor transeat in viri potestatem cum omnibus suis bonis art. 31. Landr. lib. 1.*

#### T H E S I S I V.

Dos constituitur modis vel inter vivos vel mortis causa; (a) His equidem quavis (b) ultima voluntate; (c) illis verò vel cæteris titulis ad transferendum dominium idoneis pactis & stipulationibus. (d)

(a) Sunt hi tituli generalissimi, qui reliquos omnes suis ulnis complectuntur, sive modos acquirendi sive contractus & obligationes intelligas. arg. §. usufructus 1. vers. sine test. Instit. de usufructu. §. fin. instit. de servit. Quicquid enim agimus, alterutrius contemplatione agi necessariò statuendum est; nec datur per rerum naturam tertium, quod vel utrumq; concipiat, vel ad horum neutrum referri possit, prout se habent, in jure nostro omnia ea, quæ disjunctiva vocamus, quorum altero posito vel electo, necesse est colli alterum. *l. hæc verba 124. ff. de verb. sig.* Quamvis non inficiamur interdù hæc duo conjunctionem admittere, nõ verò confusionem, ut fit non rarò in ultimis voluntatibus, quibus sæpenuerò inferi solent contractus, ita tamen ut utrumq; & testamentum & contractus diversos sortiantur effectus, & à se invicem re ipsa, seu mavis intellectu juris dextrè separentur, quod frequentissimè usù venire solet in rusticorum voluntatibus ultimis, quibus sæpiusculè appenduntur venditiones fundorum paternorum cum uno ex liberis celebrata. *Nec obstat l. verba contraxerunt: 20. ff. de V. sig.:* loquitur enim de restitutionibus minorù, quæ ob testamenta minorum inutiliter imploran-

plorantur, cum absq; illis sint ambulatoria & extremum vitæ spiritum inq; horam mutationi obnoxia, prout hanc rem dexterime explicat Jacob. Labitt. in usu suorum jud. 1. n.

(b) Sive fiat per universitatem vel titulo legati & singulari. in princ. inst. de legat. sive directis verbis sive obliquis, t. t. de legat. & t. t. instit. de rebus sing. per fid. reliet.

(c) Huc pertinet casus in l. tali facta. 48. §. socer. i. ff. de jur. dot. l. Titio centum. 71. §. fin. ff. de condit. & demonstrat.

(d) Interim hic distingvendum est, ut aliud sit constitutio, aliud acquisitio dotis, Nam non sequitur dos est constituta, ergo & acquisita: rectò verò è contrario est acquisita, ergò ante vel simul constituta; acquisitio enim semper præsupponit constitutionem vel eandem importat, non etiam constitutio acquisitionem. Sic servitutes constituuntur, non statim etiam acquiruntur: sic feudum investitura constituitur, non statim acquiritur ejus possessio: sic pignus constituitur conventionem quæstoriam, non statim acquiritur, nisi fortè per servianam vel quasi servianam & rem judicatam aut ultroneam traditionem. Eodem modo comparata est dos: constituitur illa pactis, stipulationibus, sed non statim acquiritur; sed acquiritur tum, cum marito traditur: quamvis libenter fateamur, hæc non rarò promiscuè usurpari. Constituitur autem vel tacitè vel expressè. Tacitæ constitutioni annumerantur, si verbi gratia mulier, quæ dotem dederat, post divortium rursus in matrimonium redit non revocatis instrumentis æstimabitur dos quasi esset tacitè renovata. l. Divus 40. l. dotem 30. ff. de jure dot. aut quod magis est, in pristino suo statu remanet, l. si mulier. 19. ff. solut. matrim. Expressè dos datur, si vel tradatur, §. per traditionem. 41. in fin. instit. de rer. divis. Sed hæc magis acquisitio quàm constitutio est, & absorbet constitutionem tanquam majus id quod minus est, arg. l. de accessionibus. 14. §. & si mihi. 3. ff. de divers. tempor. præscript. Si caveatur ob rem in dotem datam; ejusmodi enim cautio loco traditionis est, l. ratio. 3. §. si iter. 2. ff. de action. emt. qui modus acquirendi dotem imprimis locum habet, si res incorporalis v. g. ususfructus fundi in dotem datur. Nam simul ac caveatur ab eo, qui constituit, per se non fieri quo minus maritus utatur, fruatur, nihil amplius hoc casu ad acquisitionem dotis accedere

B

potest,

Distinctio  
facitiam et  
Sed in d. p. p.

potest, quod eam perficiat aut consummet; cum enim harum re-  
rum traditio nulla sit, cautio talis traditionem in illis repræsentat.  
*d. l. 3. §. 2. & l. fin. de servit. & ad d. l. 3. Cujac. in Comu. ent. post ad ff.* Idem  
sentiendum de patientia, puta si constituto usufructu in dotem,  
patiatur constituens uti, frui meritum, arg. *l. omnium. 3. princ. ff. de usu-  
fruct.* Potentia enim peræquè traditionis instar est, §. *interdum. 44.*  
*insti. de rerum divis.* Quin & acceptilatione accipitur dos, ut puta  
sponsa Titij debet mille Sejo; ab hoc Sejo liberalitatem exercituro  
accepta fert illa mille Titius, vel etiam ipsa sponsa; quæritur an  
dos rectè sese habeat? Et respondet Ulpianus in *l. licet soleat. 43. in pr.*  
& §. *1. ff. de jure dot. omnium rectissime.* Idem juris est in nuda debiti  
remissione *l. si sponsalibus. 58. §. 1. cum l. seq. ff. eod. lit.* Stipulatio deni-  
que rectè dotem constituit, sed non acquirit: obligat enim pro-  
mittentem ad dandum, ut maximè non rarò datio differatur & ac-  
quisitio. *l. promittendo. 41. junct l. obligationum. 3. in pr. ff. de obl. & act.*  
*Ulpian. in frag. l. 6 §. 3. 1. qui autem 23. ff. de jur. dot.* In qua lege retinenda  
omninò est lectio vulgaris nec pro doris adjectio legendum cum  
Ant. contio *l. lect. 6.* Conditionis adjectio, quia Cod. cum nullus  
nec Florentini, nec Haluandri, nec Ruffardi hanc lectionem pro-  
bant, nec opus est correctione ibi, cum sensus ex vulgata & rece-  
pta lectione satis sit conveniens subjæctæ materiæ.

### T H E S I S V.

Ad constitutionem dotis pertinet, ut non  
rarò ipsi adjiciatur fidejussio (a); pro conservan-  
da tamen dote à marito nulla cautio exigenda est,  
(b) nisi ultro sese ad eam offerat. (c)

(a) *l. creditor. 60. in princ. ff. mandat. l. cum dotis 55. ff. de jure dot.*

(b) Distingvimus hoc loco bellè non tam ex jure, quàm ra-  
tione juris inter maritum nolentem fidejussorem dare & ultrò vo-  
lentem, de quo mox. Nolens quippe cogi non debet, inq; hanc  
sententiam aperte loquuntur textus in *t. t. C. ne fidejuss. vel mandat.* Ratio  
legis adjicitur, ne scilicet ansa præbeatur perfidei inter conjuges.  
*l. fin.*

*l. fin. C. d. tit.* quod omnibus modis præcavendum est, cum uxor sese suamq; dotem credendam putet, quare fidejussor vel alius intercessor exigatur? *d. l. fin.* facit quod contumelia non vulgaris sit, satisfactionem subire, qui non vult. *l. test. 17. §. fin. ff. de testam. tutel.* Et quod quilibet præsumatur bonus, donec contrarium probetur; ægrè igitur fert maritus, cum videt hanc præsumtionem & bonam de sese opinionem ab uxore vel eo, qui fidejussores exigit in dubium vocari; unde rixæ & dissidia nunquam non oriri solent multiplicia.

(c) Gravis hæc est quæstio, nec caret contradictione multorum, sed quia cuilibet liberum est favori pro se introducto renunciare. *l. pen. C. de pact.* nec volenti fit injuria. *l. 1. §. usq; ad eod. 1. ff. de injur.* & illud, quod dotem conservat non est dicendum legibus prohiberi, cum in dubio semper pro dotibus respondendum sit, *l. in ambiguis 75. in princ. ff. de R. J.* nec quæ abundant nocent *l. non solet. 94 ff. de R. J.* itemq; multa honestè accipiuntur, quæ inhonestè petuntur, *l. 1. §. proinde. 5. ff. de extraord. cognit.* Ad hæc pignus pro dote non tam expressum *l. quod autem §. si uxor. ff. de don. inter vir. & uxor.* quod tacitum legibus introductum est. *l. in rebus 30. C. de jure dot. l. assiduis ult. C. qui pot. in pign.* Quid ni & fidejussor, cum tendant ambo remedia ad unum eundemq; finem, scilicet ut idoneè magis creditoribus cautum sit *l. 1. ff. q. satisd. cog. Fovent & tuentur hanc affirmativam. Duar. de jur. dot. cap. 4. Joan. Andr. in addit. ad specul. tit. de donatione inter vir. & ux. §. sui. vers. illud. Immol. in l. si constante. ff. sol. matrim. Bald. Novell. in tract. de privil. dot. part. 6. priv. 21. Diss. Wesenb. §. in omnibus inst. de fidejuss. Cujac. in par. C. eod.*

In doli  
fere 70

## THESIS VI.

Dos capax est rerum omnium, quæ in nostrum cadunt patrimonium (a), corporalium (b) incorporalium (c), æstimatarum (d), inæstimatarum (e), singularium (f) universalium (g).

(a) Dummodo possunt esse sustinendis matrimonij oneribus

B 2

usuus

usui; nam si quis res viles, castas nuces, putamina, & id genus ali-  
ud titivillitium velit in dotem dare, potius hoc fieret in fraudem  
legis nec finem suum consequeretur, *l. dotis fructum. 7. pr. ff. de jure  
dot. l. si pater. 76. in fin. ff. eod.* Quamvis tamen si extraneus se ad  
dotem dandam obstringat indefinitè quamvis re vilissima se libe-  
rare queat, nisi adjecisset, quod arbitratus fuerit, nam hæc adjectio  
efficit, ut boni viri arbitrato dos promissa veniat præstanda. *l. si cum  
ea. 3. C. de dot. promiss. §. fuerat. 2. instit. de action. l. 10. personam. 22. §. 1. ff. de  
R. 7.* secus esse in iis personis, quæ dotem profectitiam constituere  
dicuntur *l. capite 19. ff. de rit. nupt.*

(b) *t. i. ff. de fund. dot. l. quæ in fundum. 50. in princ. ff. de jur. dot. l. si is  
§ 6. princ. l. si servor. 47. ff. eod.*

(c) Ut ususfructus *l. dotis fructum. 7. §. si usufr. 2. ff. de jure dot.* sed  
quia in omni usufructu duo veniunt consideranda, ipsum jus u-  
tendi, fruendi & perceptio fructuum. *l. si usufructus, 66 ff. eod. tit. l. si  
postulaverit. 77. §. jubet. lex 11. ff. ad L. Jul. de adult.* in dubio & si non ap-  
paret, quid actum sit inter conjuges jus utendi fruendi in dotem  
datum omne censetur, non ipsos fructus, qui percipiuntur. *d. l. 7.  
§. 2.* unde sequitur fructus soluto matrimonio non restituendos  
esse, quia quod in dotem datum non est, in restitutionem ejus  
non venit. Sufficit igitur maritum extracto matrimonio jus uten-  
di fruendi restituere perceptos & fructus, secus est sibi servare &  
& lucrari. *d. l. 7. §. 2.* si sola perceptio fructuum doti fuerit destina-  
ta: Nam tunc retento jure sive apud uxorem, sive apud eum, qui  
dotem constituit; fructus redduntur. *l. si convenerit. 4 ff. de pact. aot. al.*  
Nec dicendum est hoc casu dotem marito futuram sterilem: nam  
fruitur iste usus, quæ ex fructibus collectis & in sortem redactis  
percipi constante matrimonio possunt, eleganter perquam *Ulpia-  
nus d. l. si convenerit 4. vers. erunt igitur.* Sed nunquid & usum, id est,  
ea, quibus ex fructibus perceptis ad necessitatem indiget maritus  
reddere cogatur maritus, novè fortassis hoc loco à nobis quæri-  
tur? Rectius negabimus: quia fructibus *usus inest. l. per servum. 14. in  
princ. ff. de usu & habitat.* Cum igitur ad restitutionem totius i. e.  
fructuum maritus sit obligatus, utiq; & ad usum tanquam ad par-  
tem *l. in toto. 113. ff. de R. 7.* quod enim juris est in toto, non debet  
esse alterius juris in parte. *l. quæ de toto. 76. ff. de rei vindic.* Nulli ta-  
men

men dubitamus, quin impensas pro cultura & alias necessarias deducere maritus queat: illi enim ad stipulatur regula, qua dicuntur fructus illi esse, qui deducta impensa supersunt *l. fructus 7. in princ.* præsertim cum eandem Scævola & ad mariti & ad mulieris impensas referat. *d. l. 7. in princ.* secus est in usufructuario, qui cum fructus omnes lucretur extra restitutionem, merito & sumtus impendit, cum nemo alius fructus, quam ipse lucretur, *juxta l. secundum naturam 9. ff. de R. J.* A quo maximè differt maritus, qui tandem aliquando fructuum restitutioni obnoxius est, *d. l. si convenerit 4. ff. de pact. dotal.*

(d) *l. plerumq; 10. in princ. §. si ante 4. & §. inde quæri 5. cum §. seq. l. in rebus 17. §. si res 1. l. si mancipia 18. l. cum post. divortium 69. §. cum res 7. cum §. seq. ff. de jur. dot.* Et quia æstimatio venditionis vicem sustinet, *l. 1. l. litis. 3. ff. pro emt.* imò vera venditio est, *l. plerumq; 10. §. si ante. 4. ff. de jure dot.* Sequitur vacuum possessionem transire in maritum *l. 2. ff. de act. emt.* & hinc dominium, si is qui dotem dat, ejus rei Dominus fuit, *l. exento. 11. §. & in primis 1. ff. eod. tit. l. cum post. 69. §. fin. l. in dotem 8. ff. de jure dot. l. quoties 5. C. eod. & per consequens omne periculum; res enim perit emtori §. cum autem. 2. inst. de emt. vendit. & suo domino, *l. pignus 9. C. de pign. act.* quod si alternativè res æstimatò in dotem datæ fuerint marito, ut aliquando vel æstimatio vel res præstetur; electionem habet aliquando post divortium maritus, utrum dare velit *d. l. plerumq; 10. §. si res 6. ff. de jure dot.* nisi electio mulieri relicta fuerit *d. l. 10. d. §. 6.* Unde quod obiter notandum est, colligi rectè potest, maritum quoq; de jure Saxoniæ lucrari immobilia uxoris, si ei sint æstimatò data, aut electio in ipsum collata, nisi fortè rursus alio fine, puta demonstrationis ergò adjecta fuerit æstimatio, tamen ut tantò certius sciatur, quod soluto matrimonio reddendum sit, *l. si inter 21. C. de jure dotium l. cum post. 69. §. cum res 7. ff. eod.* Sed quia talis æstimatio venditionem & translationem dominij, alienationemq; importat, nulla autem alienatio de jure Saxoniæ absq; præscitu Magistratus procedat, cautum esse maritum oportet, ut hoc omne judicialiter peragatur. Huc pertinent etiam res fungibiles, quæ pondere, numero & mensura constant. *l. res in dotem 42. ff. eod.* quæ ad hoc dantur, ut eas maritus ad arbitrium suum distrahat, & quandoq; soluto matrimonio*

eiusdem generis & qualitatis alias restituat vel ipse vel hæres eius.  
d. l. 42. Qui textus hodie admodum proficiuus est mulieribus, quæ  
ante viginti vel plures annos pecuniam in proba moneta intule-  
runt, ut in eadem post obitum mariti ex hæreditate eius recipiant  
& ita sæpè responsum fuisse audio in Jctorum Collegijs harum,  
terrarum.

(e) l. non solum 52. ff. de jure dot. l. fin. §. prædium 2. vers. fin. autem mi-  
nimè: C. cod. t. Atq; hæres siue mobiles siue immobiles in suo sta-  
tu permanent, ut soluto matrimonio eadem restituantur, & peri-  
culum earum non sit mariti sed uxoris, d. l. plerumq; 10. in pr. ff. de jure  
dot. Interim tamen non sequitur, earum rerum maritum per do-  
tis constitutionem non fieri dominum; hoc enim nihilominus  
procedit, ut maritus plenum in illas dominium exerceat, quamvis  
revocabile l. n. rebus 30. in princ. C. de jure dot. l. dotis fructum: 7. §. si res.  
ff. eod. l. dotale 13. §. dotale prædium 2. ff. de fund. dot. Nam & quod sub certa  
lege mihi acquisitum est, meum est juxta benedictum Senecæ. Et  
hinc patet Practicorum vulgare error, qui putant pro prædio  
inæstimato in dotem dato nullum præstari laudemium, eo quod  
nulla æstimatio, sicut in æstimatis intervenire soleat. Nam si co-  
gitarent verum dominium transferri in maritum, d. l. dotale 13. §. 2. &  
sic alienationem fieri, quamvis revocabiliter, in hunc errorem nõ  
delapsi fuissent, quod pluribus doctissimè ut omnia suo more ex-  
plicat nervosè Anton. Fab. Dec. 99. error prag: 2. ubi ad longum vide  
plura.

(f) t. i. ff. de fund. dot. d. l. plerumq; in prin.

(g) l. mulier. 72. in princ. ff. de jure dot. l. nec ullam §. quid Marcellum  
10. ff. de hered. petit. Nulla enim lege prohibitum est, universa bo-  
na in dotem marito fœminam dare, inquit Imperator Alexander in l.  
nulla 4. C. de jur. dot. Dissentit Duar in suo Comm. C. ad tit. si advers. dot. sed  
ipsius ratio non stringit, nec Cujas. in parat. C. si adversus dot. Nec etiam  
obstat textus in l. si ex causa 9. §. in dotis quoq; 1. ff. de minorib. sed loquitur  
Juriconsultus eo loco de minore, quæ in danda dote totius patrimonij cir-  
cumscripta esse dicitur: quæ consideratio hujus loci non est. vid. & Giphon. ad  
d. l. nulla 4. in comm. post. ad Cod.

THE-

T H E S I S V I I .

† Finis dotis sunt onera matrimonij (a); quæ  
maritum ferre oportet; nisi nominatim aliter cau-  
tum sit. (b)

(a) vid. 5. th. 2. lit. C. Juris enim optimi nequaquam est ma-  
trimonium, cum tot tantisq; difficultatibus opprimatur, testante  
Imperat. Theod. in l. un. vers. nec enim &c. C. de impon. lucrat. descript. lib. 10.  
Sed quæ sint illa onera matrimonij, rarò fortè explicatum reperies:  
Dabimus si non omnia, præcipua tamen eaq; ex jure civili. Pri-  
mum est, ut victum præbeat, quod liquidò probatur ex l. mutus, 73.  
§. 1. ff. de jure dot. l. si quis 21. §. 1. ff. de don. inter vir. & uxor. l. ubi adhuc 29.  
C. de jure dot. sub quo continetur non solùm potus, sed & vestes,  
quæq; ad vivendum homini necessaria sunt. verbo victus 43. ut do-  
cætera 44. ff. eod. Ex qua lege colligitur, etiam pharmaca ægrotan-  
ti uxori à marito porrigenda esse, quicquid statuatur Bald. in l. si cum  
dotem 22. §. si autem 8. ff. sol. matrim. facti contra Bald. l. quod in uxorem.  
13. C. de neg. gest. sed si dos promissa quidem sit, non tamen præste-  
tur, an propterea alimenta uxori deneganda à marito, aut profus  
domo expellenda? Sunt ex Interpretibus non pauci, ijq; magni  
nominis, qui sic statuunt Bartol. in l. jubemus. C. de sacros. Eccles. Guid.  
Pap. decis. 275. Cynus in l. quod in uxorem. ff. de neg. gest. probare hanc o-  
pinionem nituntur l. generaliter fin. C. de S. C. Vell. l. si donaturus 9.  
§. si quis 1. ff. de condiçt. caus. dat. caus. &c. Sed negantium opinio veri-  
tati juris propius accedit. Ponamus enim, aut alium quamvis  
promisisse dotem, aut ipsam uxorem, sive sponsam: si alius qui sta-  
re detrectat post ingressum matrimonij promissis; legitimis tra-  
mitibus certè coërcendus est, actione scilicet ex stipulatu, §. fuerat.  
29. instit. de action. si ipsa uxor pollicita est, ne in hanc deficit ex  
stipulatu actio; aut si facultates ipsi deficiunt, debuit hoc ab initio  
penitius explorare, aut si hoc fecit & conditionis personæ ignarus  
cum illa contraxit; nemini hoc damnum quod non cautius mer-  
catus est, quàm sibi ipsi maritus imputabit, id enim sua culpa sen-  
tit, l. qui cum alio. 19. ff. de R. J. l. cum ejus 203. ff. eod. Ad hæc fieret ma-  
ritus.

ritus iudex in propria causa, quod jura nostra non admittunt, l. 1. C. ne quis in sua causa & arg. l. creditores, 3. C. de pignorib. Nec obstat d. l. fin. C. de S. C. Vell. non enim loquitur de expulsionem, sed de metu divorij, quod tum temporis facili de causa conjugibus concessum erat. t. t. ff. & C. de divort. quod posteriores mutarunt, l. jubemus II. §. si quis a. 1. C. de repud. Novell. 22. cap. 18. Minus excusatur, qui sciens indotatam duxit, l. fin. C. de repud. volenti enim & consentienti non fit injuria. l. 1. §. 5. ff. de injur. Secundum onus matrimonij est, ut defendat atq; protegat ab omnibus generis injurijs uxorem suam maritus; unde si injurijs eam laceratam animadvertit, merito hanc tanquam sibi illatam vindicat, l. 1. §. item aut. 3. ff. de injur. l. item 15. §. sponsum 24. ff. eod. §. patitur 21. instit. eod. tit. Est enim pars corporis ejus, quam inviolatam oportet esse, ut ex sacris literis pie sentimus, cumq; viro uxor particeps divini & humani juris. l. 1. ff. de rit. nupt. Quo pertinet, quod in l. alienam. 18. C. de procurat scriptum reperitur, alienam suscipere defensionem virile esse officium & ultra sexum muliebrem. junct. l. maritus. 21. C. eod. Deniq; nihil quicquam maritus debet omittere, quod uxoris saluti conducere possit l. si cum dotem. 22. §. sin autem. 8. ff. sol. matrim. Quærent hoc loco Doctores, utrum etiam stante matrimonio captivam redimere teneatur maritus? Quidam Doctores hoc onus peculiare faciunt, ut cogi possit salva dote eam redimere; sed hæret illis aqua, præterquam quod ex Rabinorum ore probare fatagunt, ut est apud Petr. Greg. in lib. 9. syntag. c. 20. n. 6 Quia tamen Rabini Luthero teste sunt rudes asini, illos præsertim in jure non moramur. Negamus igitur de suo maritum erogare debere lytron pro uxore captiva. Si enim ob ullam honestam causam dos impendi potest, nulla huic erit facile secunda; arg. l. quamvis 20. & l. si cum dotem. 22. §. si post solutum 1. ff. solut. matrim. & ibi Duar. imprimis si ἀύργον sit grande, & magna ex parte vim patrimonij absumat. Inter sumtus enim majores & minores magna est ratio diversitatis. Tertium onus educationi liberorum inservit, ad quod non solum alimenta referuntur, de quibus nullum, ut modo diximus, est dubium, sed & liberalis institutio, pro captu & indole uniuscujusq; liberorum. Cum enim non tam nobis quam Reipub. nascamur; ecquid est, quod patriæ magis debeamus, quam civibus libe-

liberaliter educatis eam replere. *l. 1. §. 15. in fin. ff. de ventr. in poss. mit.*  
*l. 2. ff. de just. & jur. l. postliminium, 19. §. ult. in fin. ff. de captiv. & postlim. & c.*  
*l. honor. 14. §. plebeij. 4. ff. de muner. & bonar.* Quæ cura certè non ad  
Matres, ut quæ plerumq; liberos ob nimiam eorum indulgentiam  
corrumpere solent, non pertinet, quippe imbecillitas & lu-  
bricum consilij hoc non admittit: in patrem igitur retundat om-  
nis hæc in liberos inspectio. Hos enim solos pro matribus lex cen-  
set rectè filijs vel liberis prospicere, *l. si plures. 3. §. si parens. 1. ff. de*  
*administ. tut. & pietatem paterni nominis consilium pro liberis*  
*capere l. nec in ea 22. §. fin. ff. ad L. Jul. de adult.* quo de plura vide ele-  
ganter. *Can. sicut ij vers. necesse est & c. usq; ad fin. distinct. 47.* Et hæc  
non est lata lex, sed natura nobis inserta, *in princ. instit. de jar. nat.*  
*gent. & civ. l. 1. §. jus naturale. 3. ff. de just. & jur. junct. l. fin. C. de alend. liber.*

Quartum onus in administratione & cura domestica posita  
est, unde pater eximia appellatione paterfamilias, id est, totius rei  
familiaris appellatur, cum enim secundum Ulpianum in domo  
dominium habere dicatur, *l. pronuntiatio 195. §. familie appellatio.*  
*2. vers. pater autem. ff. de V. sign.* merito & summa inspectione & admi-  
nistratione fungitur, ut hinc rectè mihi Columella dixisse de eo vi-  
deatur, quod primus cubitu surgat, postremus cubitum eat. *lib. 2. cap. 20.*

Quintum ex hac præsentia materia elucet, dotare nimirum  
filias eisq; honestam conditionem quærere *l. capite 19. ff. de jur. dor.*  
*quo de egimus ib. 3.*

Sextum addunt sumtus funebres, exequijs uxoris impen-  
dendos, si tamen dorem intulerit, quod innuere videtur *l. quod in*  
*uxorem. 13. C. de neg. gest. l. in eum. 16. cum l. seq. & l. si pro rate 27. §. maritus*  
*l. ff. de relig. & sumt. fun.* argumento ducto à contrario sensu: ibi e-  
nim relinquitur liberum marito ex dote repetere ab eo, qui dotem  
post mortem uxoris lucratur, *d. d. ll.* Ergò si indotata moritur ces-  
sabit omnis repetitio, nullius enim entis nulla exactio. Plura  
alij numerant, sed illa vel non sunt magni momenti & adeò scitu  
digna, vel sub enumeratis facilè continentur, de quibus vid. *Petr.*  
*Greg. d. loc.*

(b) Hoc enim fieri licere, ut scilicet dotem retineat uxor & se  
suosq; alar & tueatur, nullus dubitat *Ulpianus in l. si convenerit. 4. in fin.*  
*ff. de pact. dotal*

C

THE-

T H E S I S I I X.

Effectus dotis sunt: primus, si constituta quidem, sed nondum acquisita est (a), actio datur ex stipulatu: (b) secundus est, quod hoc modo constituta conciliet marito stipulanti hypothecam in bonis promissoris (c): Tertius, quod dotis jam acquisitæ fructus lucretur maritus (d): Quartus demum, quod dotis fiat Dominus. (e).

(a) En, ut hoc obiter moneamus, usum superius in th. 4. lit. d. data distinctionis.

(b) Quæ locum habet, si dos non statim per traditionem acquiratur sed constituta tantum, nec dum tradita & acquisita sit, ad hoc ut maritus post matrimonij ingressum ejus capax fiat, ne solum onus matrimonij, sed & commodum dotis sentiat, juxta l. secundum naturam, 9. ff. de R. J. Quacumq; autem ratione constituta dos sit, actio datur marito adversus eum, qui dotem constituit ex stipulatu; in hanc enim causam omnes aliæ sunt transfusæ, ne marito diu multumq; laborandum sit in petenda dote de genere actionis, utur olim dicta fuerit actio rei uxoriæ, t. i. C. de rei uxoriæ act. Ita enim visum fuit Justiniano in d. l. un. C. d. tit. in §. i. verb. ab utraq; parte. & c. Licet autem stipulatio sit contractus stricti juris. l. quicquid. 99. princ. ff. de V. oblig. & actio inde promanans ex stipulatu regulariter sequatur stricti juris judicia d. l. quicquid 99. pr. qualis enim causa talis effectus: Justinianus tamen in favorem dotis tum petendæ, tum etiam repetendæ eam fecit bonæ fidei: d. l. un. §. i. & 2. C. de rei uxoriæ act. §. fuerat. 29. instit. de action. tum quia vetus rei uxoriæ actio in æquum & bonum concepta erat. l. eas obligatione 8. in fin. ff. de cap. minut. oportebat igitur surrogatum capere naturam ejus, cui surrogatum erat, juxta c. surrogatum, de R. J. in. 6. tum quia constitutio dotis est ultro citroq; obligatoria, quæ est natura omnium aliorum bonæ fidei contractuum ac negotiorum. l. 2. §. sui. ff. de obl. & act. in fin. instit. de obligat. ex cons. Mutua autem obligatio in eo consistit

sisit inter conjuges, quod uxorem sive eum, qui dotem constituit obliget ad tradendam eam; maritum v. vicissim ad sustinenda onera matrimonij. *t. t. ff. & C. de jur. dot. l. si pater. 76. in fin. ff. d. tit.*

(b) Est hic secundus effectus probè notandus adversus rigidos soceros, qui ad inescandos bonos viros sæpiusculè multum dotis solent promittere & postea parum præstare, quantumvis nuda promissio intervenerit, quam illi fingunt tanti roboris non esse. Cum enim ex ejusmodi promissione se suaq; bona omnia in tacitam hypothecam obligent; *d. l. un. §. 1. in verbis: ab utraq; parte C. de rei uxor. action. Oldend. in class. 4. act. 26.* Dubium non est, quin vigor hic *d. l. unica* illarum rigori tandem fortiter opponi & remedijs executivis, ut res bona pace componatur, adversus illos procedi queat; nam qui suo jure utitur nemini facit injuriam, nullam vim, nullum dolum *l. quod autem. 6. §. apud Labeon. 6 ff. quæ in fraud. cred. l. nullus 55 l. factum. 155. §. 1 ff. de R. 7.*

(c) Ratio est, quod onera matrimonij viro subeunda sint. *l. dotis fructum. 7. in princ. ff. de jur. dot.* Numquid igitur usufructuarius maritus fuerit? Minimè gentium, sed jure dominij fructus percipit, cum sit Dominus dotis, quamdiu constat & subsistit matrimonium, ut mox probabimus *lit. d.* De jure verò Saxonico secus est, nusquam enim reperitur inibi marito dominium adscribi præter possessionem & usumfructum. *art. 31. Landr. l. 1. & ibi Additionator l. A.*

(d) Superat hæc inspectio perplexitate sua cæteras omnes in hac dotium materia propter textus mirè à se invicem discrepantes. Rem sic paucis accipe; uterq; est Dominus dotis & maritus & uxor: hoc enim novissimè ipsis tributum est *ab Imperatore Justiniano in l. in rebus 30. in princ. C. de jur. dot.* Maritus tamen constante matrimonio exercitium habet dominij & mulieris interim dormit; soluto verò matrimonio mulier exercitium habet dominij & mariti prorsus aboletur. Hinc qui textus in jure nostro maritum Dominum faciunt, quod uxori & ipsi plus in dote potestatis attribuant; hi omnes concepti sunt de durante matrimonio; qui verò plus juris uxori ascribunt; hi vel solutum matrimonium innuunt, vel quod huic proximum est, maritum ad inopiam vergentem & mulierem de dote periclitantem nobis ob oculos ponunt. Hac

observata distinctione ad textum antinomias expedite respon-  
debimus, omissis aliorum scrupulositate. Sed quid est, quod  
Justinianus maritum jure civili dotis constituit Dominum; &  
uxorem jure naturali, cum tamen in §. *per traditionem* 41. *instit. de*  
*rer. divis.* marito dominium dotis competere dicat ex jure natura-  
li sive gentium? Solutio nihil est facilius si distinguas inter causam  
& effectum, in d. §. 41. Justinianus ad acquisitionem dotis respicit,  
quæ fit per traditionem modumq; acquirendi de jure gent. In d. l.  
*in rebus* 30. de effectu dominij acquisiti in re dotali audiendus est.  
Non ergo sunt contraria, sed diversa, cujusmodi se habeat causa  
& effectus. Et hæc usum suum insignem habent in dote nec æsti-  
matò data. Nam in dote æstimata nihil juris uxori remanet? *ib.*  
*6. lit. d. & C.*

### THESIS IX.

Cognitionem quandam (a) cum dote ha-  
bent bona paraphernalia (b), & Donatio propter  
nuptias.

(a) Cum juxta Justinian. Imperat. ea, quæ de eodem penè  
loquuntur, oporteat in confinio ponere *l. tanta circa §. quartus autem*  
*5. C. de vet. jur. enuc.* non videbantur omittenda esse hoc loco, quæ  
eum materia dotium affinitatis jure gaudent, cujusmodi sunt, quæ  
sequuntur.

(b) Vox est à Græcis profecta, quasi dixeris ea, quæ *ἄλλο*  
*ἢ τῆς ἐξουσίας*, id est, extra dotem vel dotis causam marito dantur,  
& olim Gallis peculium dicebatur. *l. si ego Seja. 9. §. caterum. 3. ff.*  
*de jure dot. l. donationes. 31. §. species. 1. ff. de donat.* ex qua nominis in-  
terpretatione jam statim intelligitur quidnam sint bona paraper-  
na sive paraphernalia, id est, talia, in quibus marito jus non est,  
quale sibi reservatur in dote, sed quæ in usibus est uxoris. *d. l. do-*  
*nationes. 31. d. §. 1.* Videndum tamen, qua mente ejusmodi res  
marito tradantur, cum juxta *l. verum 39. ff. de furt.* non factum  
sed causa animus & voluntas facientis semper sit inspicienda:

Nam

Nam si simpliciter traditæ fuerint marito vel ab alio vel ab ipsa uxore; administratio & custodia earum rerum ipsi magis concessa in dubio præsumitur, quàm dominium vel aliquid amplioris juris *d. l. si ego Seje 9. d. §. 3. ff. de jure dot.* quo casu soluto matrimonio, ut antea ita & tum demum manet dominium earum penes uxorem, & hinc rectè eas, tanquam suas à marito mulier vel hæredes ejus vindicare possunt *d. l. 9. §. 3.* Quod si hoc actum, ut quidem in maritum transeat dominium sed revocabiliter, id est, ut extincto matrimonio rursus res illæ ad foeminam revertantur; instar sunt rerum fungibium & rerum æstimatò marito in dotem datarum. Quare ipsas quidem res non vindicat in individuo, sed habet conditionem actionem à dotis actione prorsus separatam *d. l. si ego. 9. §. 3. junct. l. donationes 31. d. §. species 1. ubi doctissimus Cujac. in Commen. post. ad Papinian.* Quod si neutrum horum actum fuerit; Consequens est, uxorem in illis bonis omnia sibi retinere & administrationem & possessionem ac dominium, nec aliquando finito matrimonio pro illis debere maritum respondere. *l. hac lege. C. de pact. convent.* Quid verò si dubitetur quod aliunde ad uxorem res pervenerint, an censebuntur mariti esse, an mulieris? Respondet *Jetus Pomponius in l. Quintus Mucius 51. ff. de donat. inter vir. & ux.* Verius ac honestius esse ea acquisita censei ab uxore ex bonis mariti evitandi turpis quæstus gratia. *d. l. 51. in fin.*

Utrum autem paraphernalia in bonis mariti eodem munita sint privilegio, in quæstione prælationis & concursus creditorum, quo res dotales ex *l. asiduis. C. qui potiores in pignor.* inter juris Interpretes graviter disputatur?

Nos in favorem mulierum affirmativam amplectimur, tum, quod aliàs periclitaretur uxor de suo patrimonio, quod jura omnibus modis ipsi salvum cupiunt, *arg. l. 1. ff. sol. matr. l. 2. ff. de jur. dot.* tum quod *Justinian. in d. l. asiduis.* tantùm excludat lucra, ut sunt donationes propter nuptias. Ergò reliqua bona includit, tum denique quod beneficium prælationis omnibus rebus mulieris nominatim tribuatur *in d. l. asiduis. §. Hac autem &c. verbis: suisq; rebus defraudentur.* *Novella Electoralis Constitutio in Nov. judic. pro. in dec. ewen Serichy corp.* optime distinguit ex legum nostrarum temperamento

ut siquidem paraphernales mulierum res in bonis mariti etiam nunc individuo tenus extent, parile privilegium cum dotalibus habeant, sin verò ejus bona pace à viro consumptæ sint, tacitam quidem hypothecam retineant, sed pralationis beneficio priventur. Quo in merito acquiescimus. *Dissentit Daniel. Moll. Const. 28. n. 37. part. 1.* Paraphernis de jure Saxonico accedit & Gerada; quæ peræquè pertinet ad mulieris patrimonium, & referri rectè potest ad eam paraphernalium speciem, quæ uxor in sua administratione, possessione ac dominio retinet. *arg. d. l. hac lege 8. C. de pact. convent. junct d. l. si ego Seja. 9 §. 3 ff. de jur. dot.*

(b) Notum est donationes inter conjuges esse regulariter prohibitas *l. 1. ff. de don. inter vir. & ux.* ne mutuo amore sese invicem spoliant, *l. 1. ff. de rit. inter sponsas* non etiam, ut donationes igitur subsisterent, oportebat illas fieri ante nuptias, sed quia non erat inconueniens, à marito in renumerationem dotis aliquid uxori vicissim donari, quod post mortem mariti unà cum dote ex bonis ejus caperet, visum fuit Justiniano Imperatori, re benè pensata ejusmodi donationem non tantum ante, sed & post nuptias constante matrimonio fieri licere, cum non esset simplex donatio ac pura, sed in compensationem dotis, inq; casum mortis recepta, *l. fin. C. de don. ant. nupt.* Quo nomine & quævis ἀντιδότης vocatur ἀντιδότης & sacoma dotis. Verum enim verò, ne sub hoc prætextu ac calore fraus fieret legi, quæ est de donationibus inter virum & uxorem prohibitis; placuit Justiniano, ne major constitueretur ejusmodi donatio ipsa dote, sed ut per omnia sibi invicem essent æquales, tam partionibus, quam quantitate, *d. l. fin. vers. sin autem donatio auth. sed jam necesse. C. de don. ant. nupt.* aut si alterutrum horum augeatur vel minuatur, etiam alterum vel augmentum vel diminutionem sentiret *d. auth. sed jam necesse*, quippe quod excurrens portio nihil aliud, quam donationem meram sive puram sapere videretur. Quamvis quod de æqualitate servanda hodie in praxi non observetur, *Geil. lib. 2. obs. 78. n. 2. Obrecht disput. 5. de donat. lib. 121.* idq; opinor propter dubium eventum mortis alterutrius conjugum, qui eventus inæqualitatem & læsionem ultra dimidium rectè quoq; admittit in cæteris pactis dotalibus. *Tiraquell. ad l. si unquam verb. donatione largitus n. 28. C. de revocat. donat. Daniel Moller. ad censit.*

*Constit. Elect. 20. part. 3. n. 11. Andr. Rauch. quest. 20. n. 17. & seq. part. 1.*  
Alterum requisitum extra æqualitatem est, ut hoc animo & intentione fiat, ut dotis compensationem sapiat, nam si hoc animo facta non est; inutilis est & pro donatione inter simplices venditur. Tertiò requiritur & insinuatio si excedat summam quingentorum solidorum, *juxta Novell. 127. c. 2.* Porro ad hanc donationis speciem quàm proximè accedit apud Saxones in hisce terris cum primis Dotalitium, quod Wesen. definit, partem bonorum mariti, assignatam ex consuetudine vel conventionem mulieri, ut pro dote eam habeat obligatam, & post mortem lucretur vel proprietatem eorundem vel usumfructum, *in parat. ff. de jur. dot. nu. 11. vers.* Hujus autem donationis post *Gu d. Pap. Chas. & Glos. in Landrecht lib. 1. art. 21. Reinh. in diff. jur. Sax. & civ. part. 6. differ. 37.* Veruntamen in hujus constitutionem consentire debeat, si præsertim in feudalibus bonis constituatur omnes illi quorum interest, id est, proximi mariti agnati & Magistratus loci, sive Dominus feudi, *d. differ.* Quamvis ab hac sententia dissentiat *Bald. in l. non solum vers. item in fundo. ff. quibus mod. ususfr. amit. Jas. in l. cum dubitatur C. de jure Emphyt.* Quid verò si proximi agnati consentire nollent? Horum dissensus pro consensu esse fingitur, si dotalitium modum consuetudine harum regionum receptum non excedat. *Rectè Moller. ad Constit. 44. part. 2. n. 11 Dissentit Glos. lat. in fin. ad art. 70. Landr. lib. 1. & Glos. lat. art. 21. Landr. lib. 1.* Donec tamen in vivis est maritus nihil utilitatis ex eo ad uxorem redundat, sed is pro suo utitur fructu; post mortem autem plenè incipit vidua percipere fructus, idq; possidet quoad vivit. *Marth. Coler. decis. 60. n. 14.* Constituitur autem plerumq; Nobilibus scæminis non civicis. Quod si tamen & civicis eadem observanda sunt, & perinde est, *vide plura de dotalitio apud Moller. Coler. d. d. loc.* Tandem ad hanc donationem aliquo referri possunt & alia, quæ uxor ex bonis mariti defuncti lucratur, ceu sunt *Mo. aenrabe & Mustheil*, quorum illud non equidem continet, quod altero die nuptiarum sponsi nobiles sponsis suis ante prandium largiri solent, sed apud Saxones accipiendum omninò est de rebus, quæ post mortem mariti præter dotalitium & geradam relinquuntur ex dispositione legis seu juris Sax. *art. 24. Landr. lib. 1.* ceu sunt, *Selganges Weibliches Vieh/als Kühe/ Kälber/*

*Kälber / Ziegen / etc. de quo vide plura apud Rotschitz in tr. de dotalitio art. 6. per tot. & Coler. decis. 6. n. 58. part. 1. Hoc verò Mustheil / latinis commestibilia seu cibaria sunt dimidia pars omnium eduliorum, quæ post mortem mariti nobilis, in ipsius prædijs reperiuntur carnes maceratae, pernae, potulenta, vinum, cerevisia, hydromelitam, prima quam secundaria, Rosent / omne frumentum, sive sit excussum nec ne, butyrum, casei, &c. de quibus omnibus vide Landr. lib. 1. art. 22. & ibi gl. lit D. Matth. Coler. d. loc. n. 61. cum seqq. & Rotschitz d. l. Quæ ideò de jure Saxonico introducta esse videntur, ut vidua primis ab obitu mariti annis habeat unde vivat. Et si horum nihil reperiat vel parum in prædijs & habitationibus mariti, hoc æquo animo ferre debet vidua, nec potest supplementum poscere ex ijs tum esculentis, tum potulentis, quæ tempore obitus mariti nondum sunt demessæ, sed terræ adhærent, aut nondum sunt dejectæ, illa enim omnia soli hæredes percipiunt, nihil horum cum vidua communicantes. Const. Elect. 34.*

### T H E S I S X. & ult.

Soluto matrimonio (a) regulariter jus dotis quoq; solvitur, ut res dotalis dos esse desinat (b). Ergò marito quidem mortuo tam vidua, quam pater ejus repetunt dorem (c): uxore verò mortua ad patrem redit (d); & utroq; modo unà cum fructibus (e) & præstationibus reliquis (f). Quin & constante matrimonio marito bonis latente quandoq; redditur. (g)

(a) Quod contingit morte alterutrius conjugum; mors enim omnia solvit adulterio l. cōsensu C. de repud. malitiosa desertioni, r. ad Corinth. 7. v. 15. & v. 39. Beatus Luth. Tom. 7. in tract. Von ehelichen Leben / mihi fol. 255. & fol. 283. quem Ecclesiastica Consistoria in provincijs reformatis rectè sequuntur Joach. à Beust. part. 3. quest. 26. 27. 28. & seq. superveniente morbo incurabili, ut lepra, Luth. Tom. 5.

Jen

Jen. fol. 251. itemq; deniq; , si mulier ex occulto quodam vitio ita comparata sit, ut mater fieri non possit, per cap. fraternitatis X. sicut pronunciarum fuisse audio Anno 1620. in Consistorio Electorali, quod hic est Lipsia.

(b) Sublata enim causa principali necessariò tollitur & accessorium, l. cum causa principalis 178. ff. de R. J. C. access. eod. in. 6. junct. l. si pater, 76. in fin. ff. de jur. dot.

(c) Et si quidem filia sit adhuc in patris sui potestate ambo conjunctim dotem repetunt, aut pater solus consentiente tamen filia. l. soluto. 2. §. voluntatem. 2. aut si filia fortassis tempore repetitionis absit, patrem actorem oportet de rato cavere d. l. 2. §. voluntatem, & viceversa filiam absente patre l. si cum dotem. 21. §. si patri 4. ff. sol. matr. Ratio est, quod in re communi & quod ad omnes pertinet, ab omnibus etiam debet approbari. C. quod omnes de Reg. Jur. in 6. l. jure communi. 26. ff. de servit. præd. urb. aut. si pater mortuus sit, sola vidua: aut vidua mortua solus pater, aut deniq; utriusque hæredes. l. unica. §. procul dubio. C. de rei uxor. act.

(d) Utrum autem de jure Digestorum & Imperatorum Justiniano anteriorum dotem mortua uxore sine liberis ac patre maritus, nisi aliter pepigissent, solus lucratus olim fuerit exclusis uxoris cæteris hæredibus novè contra omnes Interpretes pro affirmativa disputat Guid. Panciroli in Thesaur. variar. lect. lib. 3. c. 10. cujus opinionem facili labore & nos quoq; tuebimur, per rationes atq; textus ab ipso adductas, ubi vide. Nam si in potestate patris remansit, dotem profectitiam rectè relinquit patri; hoc enim jure succursum est patri, ut filiae amissa dos solatij loco ipsi cederet, ne & filiae amissa & pecuniæ damnum sentiat. l. jure succursum 6. prin. ff. de jur. dot. l. dos à patre 4. C. solut. matrim. Quod si emancipata à patre fuerit filia uxor, tunc si sine liberis moritur, maritus excludit patrem in acquisitione dotis. l. 2. in princ. l. pater filia 71. ff. de evicti. l. Titio 34. ff. sol. matrim. Comprobat hanc sententiam & Anton. Fab. in dec. err. 99. err. 9. in tantum, ut & vivæ filia contra ipsum parentem competat actio, d. l. unica. d. §. videamus ii.

(e) l. fructus 7 princ. l. nupta. 31. §. fin. ff. sol. matrim. d. l. unic. §. eumq; ex stipulatu 9. C. de rei ux. act. qui scilicet post mortem mariti nascuntur, ut pro rata parte dividantur, quo de agunt l. de divisione 5. cum l.

D

seq. &

seq. & l. fructus 7. §. Papinianus. i. ff. solut. matrim. ad cuius interpreta-  
tionem vid. Zas. ibid. & computationem Treut. disp. de jure dot. th. 12. lit. C.

(f) Cum enim maritus teneatur ad dotis restitutionem; me-  
ritò dolum & culpam præstat, latam scilicet & levem, non etiam  
levissimam, quia dotis constitutio, ut supra probavimus th. 5. con-  
tractus bonæ fidei imitatur & est ultrò, citroq; obligatorius, nec  
non in ea utriusq; conjugis utilitas versatur, mariti quidem, ut o-  
nera matrimonij ferat; uxoris verò ut tantò melius sustentari pos-  
sit; facit textus in l. si ut certò 5. §. nunc videndum 5. ff. commod. l. contractus.  
23. in princ. ff. de R. 7. Sed quid si quis dotem promiserit, isq; ante-  
quam conveniebatur à marito, interim defectus facultatibus fue-  
rit, an periculum & culpa imputanda uxori, an marito? Ulpianus op-  
timè distingvit in l. si extraneus 33. ff. sol. matr. inter extraneum & pa-  
rentem, ut si extraneus promississet, qui ob lapsum facultatum non  
posset præstare; viri omninò esse periculum; ad ipsius enim offi-  
cium pertinebat vigilare & ad petendam, exigendamq; dotem,  
omnem lapidem movere; quod quia non fecit, meritò hanc in se  
derivat culpam, & uxori tenetur pro ea respondere, eamq; præsta-  
re, d. l. 23. nisi fortè donasset extraneus dotem; Nam tunc is præci-  
pitandus non erat ad solutionem, si quidem cum illis, qui ex libe-  
ralitate conveniuntur, benignius agi debet. l. Divus 28. l. in condem-  
natione. ff. de R. 7. Quod si pater promiserit, hoc casu non mariti, sed  
filix non oportune emanentis dotem culpa imputanda est, d. l. si ex-  
traneus. 33. per tot. vid. Anton. Fab. decad. error 81. err. 9. & lib. 7. conject. cap.  
13. Dissentit Cujac. lib. 12. obs. c. 17.

(g) Quo collimant textus in l. ubi adhuc. 29. C. de jure dot. & l. si con-  
stante. 24. in pr. ff. solut. matrim. Et hoc casu, ut 5. notavimus th. exper-  
giscit plenum jus dominij & ejus exercitium uxoris in dote, spreto  
mariti jure, legibus ita suadentibus ad hoc, ne dos mulieris detri-  
menti quid capiat cum damno Reipub. cujus interest dotem mu-  
lierum salvam esse l. 1. ff. solut. matrim. l. 2. ff. de jure dot. Quod utut olim  
de jure Sax. propter textum lib. 1. Landr. art. 31. dubietatis aliquid ha-  
buerit apud Interpretes; Laudatissimus tamen Saxonix Elector  
Augustus pientissimæ memoriæ omnem submovit scrupulum in  
sua Constit. 21. & 22. part. 3. ubi vid. & ibi Moll. Quod si tamen mulier  
data opera sciens ejusmodi prodigo vel notoriè obxarato nubat;  
adju-

adjuvanda postea non est hoc repetitionis beneficio: volenti enim & consentienti nulla fit injuria *l. 1. §. usq; 5 ff. de injur. & damn.* quod quis sua culpa sentit, damnum non est *l. quod quis 203. ff. de R. J.* Quid verò si dotem absorberit dotalitium, ut fit in dotibus nobilium & illustrium foeminarum, an vivo marito & constante matrimonio uxor aequè ac dotem illud etiam invito marito & contradicentibus creditoribus ad se recipere potest? Non dubitamus posse; siquidem in effectu dotalitium convenit optimè cum dote; immò dotis locum obtinet, eiq; succenturiatum est. Ergò dotis privilegium marito adipiscitur, juxta regulam surrogatum sapit naturam ejus, cui surrogatur. *C. surrogatum. de R. J. in 6.* & ita audio in Inclyta Lipsiensium facultate superiore anno pronunciatum esse. Quia tamen ad inopiam vergere est facti, & facta non præsuntur, sed probari debent; congruum juri est, ut ad negationem mariti uxor hoc probet; *idq; vult Jctus in d. l. si constante. 24. in princ. ff. solut. matrim. verb. evident sine apparuerit.* Denique est & ubi ne quidem soluto matrimonio dos à marito potest repeti, puta si mulier adulterij se ream fecerit *l. miles 13. §. socer. 3 ff. ad Leg. Jul. de adult. l. consens. 8. §. hac nisi 4. C. de repud. Novell. 117. c. 8.* Cautè tamen hic procedendum est. quid enim si maritus ad captandam dotem talem, qui stuprum conjugii inferret, subornasset: hoc casu certè neutri dos adjudicanda erit, suo fisco rectius applicatur. Hoc autem quicquid sit, exceptio de crimine adulterij non obstat mulieri petenti dotem ab hæredibus mariti defuncti, si ipse in vivis querelam hanc non movisset, *Zabel.*


*in gl. lat. lib. Landr. art. 5.*



D

2

Corol-



## COROLLARIA.

I.

Utrum contractus præscriptis verbis, sit contractus bonæ fidei Affir.

2.

Utrum l. 2. C. de rescind. vend. etiam locum habeat in contractibus stricti juris. Neg.

3.

Utrum legitimati per subsequens matrimonium etiam succedant in feudis. Affir.

Stre-

**S** Trenuus Almeri sequeris conamina Mertens,  
Et parili Themidos rura labore colis.  
Non fugis in medium prodire; vocare Themistos  
Agmina: cum docto & bella movere grege  
Et bene: Sic poterunt latitantia robor a mentis.  
- Ingenij & vires innotuisse viris.  
Adsis intrepidus, partis nec tela timescas  
Adversa: jaculis punge repunge tuis.  
Non tua deficient medio in rectamine mentis  
Robora: te prestes ore sonante virum.  
Forte reportabis, si mens non læva laborum.  
Præmia, quæ multis contulit alma Themis.  
Præuius Almer: adesto pari pede: fortis honores  
Prendeq; percupida, quos tulit ille, manu.  
Sic eris haud impar populari laudibus, hinc &  
Intrabis patrios Clarus honore Lares.

Petrus V Vernerus J. U. D.  
& Facultat. Jurid. Lips.  
Assessor.

ba

D 3

Pocula

POcula sint alijs sint reliqua Ludicra curæ,  
Unicè in amplexu est Juridicina tuo.  
Illius, ut cœptum, stadium decurrere perge,  
Inde tibi solidum surget honoris opus.

Wilhelmus Schmuck D.

Ad præstantissimum Dn. Respondentem,  
J. U. Candidatum, amicum meum  
Candidissimum,-

**O**Mnes posse dari in dotem Res, jure docetur  
Optima quæ verò est, Heinrice? Pecunia  
fertur.

Talem materiem tractas, *dissensio si qua*  
*In reliquis facilis*, mage in illâ, est obvia, dotis  
Hic opus, hisce labor, discordes solvere textus,  
*Subtiliq; animo* duros divellere nodos.  
Faustè hoc dum peragis, grator, nec munus inane;  
Sic poteris quondam dotis defendere Jura.

M. Joannes Born.

Ad

Ad præstantissimum atq; doctissimum Dn.  
Respondentem, LL. Candid.

& amicū

Anagramma,

Heinricus Mertens Osterstadensis,

S. in Y. leviter converso:

Herus eris? nec dotem sistat Erinnyis.

**S**emper doctrina placida exploratio prodest,  
Namq; acuit mentes, ingeniumq; regit:  
Ergo colens duplicis spaciōsa volumina Juris,  
Et discens Leges digna brabea feres.

Namq; sine numquam meritos dimittere honores  
Astræa, adsiduos condecorare solet.

Vox clara est Taciti: Studio majora petenti  
Conjugium decus, ac roboris instar ovat.

Siccine herus quoq; eris? nec dotem sistat Erinnyis!

In quâ quæris quid vir mulierq; habeat.

Hanc voveo; aſt à me non falso dicier, ecce

Nominis hoc proprij litera junctâ probat.

Moris, honoris & amoris causâ adjiciebat

Johannes Heringius Olden-  
burgc-Phrysius, Φιλονόμοϛ.

F I N I S.

DE... ..

Ad praesentissimum et doctissimum Dr.  
Respondentem, L. Candid.

Angustina

Henricus Mercus Osterlindensis

2. in V. leiter corrector

Hic est? nec dormi sicut Finnye

Imper doctoris placida explorare prodest  
Nam acut mentes in cunabulis regit  
Ergo color dupliis spacia columnis parat  
Et quae leges dignas dicitur ferat  
Nunc sunt iniquum mentes dimittere bonos  
Astra, quibus conditorare solent

Vox clara est Taciti: studio majora perant  
Corps gignitur, ac verborum est ardent

Sic est hic? nec dormi sicut Finnye

In qua parte quid viri miteri habet  
Luce toros; et sic non falso dicit, ecce  
Nominis hoc proprii sicut a iuncta probat

Mors honoris & amoris causi adhibetur

Johannes Henricus Olden-  
burg-Philus, Philus


F I N I S




X2615935

Voll







B.I.G.

Farbkarte #13

20. num. 3.  
1623, 2  
18

DISPUTATIO

De

# Jure Dotium.

Quam

Opitulante JEHOVA.

Permissu Magnifici & Amplissimi Jctorum  
Collegij in Incljta & celeberrima Lipsien-  
sum Academia.

PRÆSIDE

Amplissimo atq; Clarissimo Viro

Dn. VVILHELMO SCHMUCK,  
Phil. & U. J. D. Pandectarum Professore  
publico ejusdemq; Facultatis Assessore dignif-  
simo, Domino & præceptore suo  
summopere colendo.

Publico examini committit

HENRICUS MERTENS

Osterstadâ Bremensis.

In Jctorum Collegio die 25. Aprilis.

LIPSIÆ,

EX OFFICINA BAVARICA.

ANNO M. DC. XXIII.



P. 401

